



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *TEMPLUM BEATAE MARIAE VIRGINIS* TEMPLUM
BEATAE MARIAE VIRGINIS CUI TITULUS**

«NOTRE-DAME DE LA DÉLIVRANDE DE POPONGUINE»,

IN ARCHIDIOECESI DACARENSI, AD BASILICAE MINORIS GRADUM EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. –
Templum Beatae Mariae Virginis cui titulus « Notre-Dame de la Délivrante de Poponguine », in archidioecesi Dacarensi
nuper pulchre restauratum, merito ob architectonicae structurae genus, potissimumque ob religionis cultum praedicatur.
Provido igitur consilio Venerabilis Frater Noster Hyacinthus S.R.E. cardinalis Thiandoum, Archiepiscopus Dacarensis,
postulavit ab Apostolica Sede, ut idem ad Basilicae Minoris gradum et dignitatem – tamquam primum in illa archidioecesi
ac regione – in perpetuum eveheretur, plane confisus fore ut exinde Redemptoris Mater maiorem suscipiat honorem,
populus autem Domini ad fidei devotionisque augmentum conducatur. Quibus precibus libenti animo obsecundantes,
Nos, e Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consulto deque Apostolicae potestatis Nostrae
plenitudine, harum Litterarum vi statuimus, ut templum quod diximus, Deo consecratum in honorem Beatae Mariae
Virginis cui titulus «Notre-Dame de la Délivrante de Poponguine» dignitatem Basilicae Minoris consequatur, iuribus
additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis tamen iis quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris»,
die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX datum servanda sunt. Quae vero per praesentes Litteras Apostolicas
statuimus firma sint nunc et in posterum, contrariis quibuslibet non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum,
sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Novembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri decimo quarto.* ANGELUS card.
SODANO

Secretarius Status © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana